

tatur non existente lege, et de quo idcirco affirmatur, quod non imputabatur (ad mortem) ante legem Moysis; atqui lex existebat prohibens illud peccatum, de quo in com. 12. ipsumque imputabatur ante legem Moysis, cum propter ipsum omnes morerentur: ergo. Dices forte ex particula causali enim com. 13. quae necit hoc comma cum praecedente, liquere idem esse peccatum de quo loquitur Apostolus in hoc commate et in praecedente; atqui in hoc loquitur de peccato actuali, ergo et in praecedente. Responso. Ex particula causali enim liquet comma 13. cum praecedente neci nexu aliquo causali, seu rationali: nexum autem enim esse ut expediatur difficultas tacita, quae oboriri poterat ex eo quod dictum fuerat, omnes mori eo quod omnes per unum hominem peccaverant; sive ut confirmetur veritas tradita universalitatis peccati originalis. Ut hoc autem exsequeretur Paulus oportebat alterius peccati mentionem facere, ut explicavimus. Non est ergo nexum causalis is quo in sequente commate aliquid probatur immediate de eodem subiecto quod in praecedente commate expressum est: sed est nexum causalis seu rationalis, quo demonstratur veritas praecedentis ope alicuius argumenti.

5) Ea porro expedita difficultate absolvit Paulus periodum, illoque inciso, qui est forma (h. e. typus) futuri, continetur etsi non verbo tenus, re autem vera apodosis praecedentis sermonis adhuc suspensi. Expectari quidem poterat explicita reddidio, sed Paulus, occasione memorati rursus Adami, usus est implicita redditione: qui est forma futuri. Nimirum exhibens nobis Adamum sub ratione typi, cogit nos cogitare duos terminos respondentes sibi, quorum prior est Adamus in ordine perditionis (sicut per unum hominem peccatum intravit etc.), alter est futurus, h. e. Christi in ordine reparationis, ideoque sensus apodosis explicitus huc redit: ita per alterum hominem iustitia intravit in mundum, et per iustitiam vita, ut in immediate sequentibus declaratur.

6) Versibus igitur insequentibus expolitur et declaratur comparatio inter Christum et Adamum. Et quidem v. 15-18 comparantur res, sive effectus utriusque: v. 19. comparantur personae, sive actus utriusque. Quoad versum 15. Sed non sicut delictum ita et donum: si enim unius delicto multi mortui sunt; multo magis gratia Dei et donum in gratia unius hominis J. X. in plures abundavit: Graecus textus εις τους πολλους, ipsaque fidei analogia probant verba vulgata in plures accipienda esse sensu positivo; ut utrobique sint multi οι πολλοι, sicut habet textus graecus. Excessus ergo Christi prae Adamo, qui excessus hie describitur, non est quoad subiecta quae eius bona participant, sed quoad ipsa bona seu Dei

gratiam, quae multo magis abundavit quam delictum. Quod sequente versu 16. rursus declaratur; quia nempe ab Adamo peccante unum delictum contraximus; Christi vero gratia non tantum ab eo delicto nos liberat, sed et ab omnibus aliis, quae nos ipsi admisimus. Haec est enim indoles divinae bonitatis ut magis sit prona ad parendum quam ad puniendum, ideoque si (v. 17) unius delicto mors regnavit per unum, multo magis abundantiam gratiae et donationis et iustitiae accipientes, in vita regnabunt per unum Iesum Christum. Quibus dictis redit Apostolus ad conclusionem superius enunciatam (v. 12. 14) atque (v. 18): igitur sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic et per unius iustitiam in omnes homines in iustificatione vitae; atque repetit comparisonem utriusque hominis, collatis actibus propter quos ille damnationis, hic salutis fuerit causa (v. 19): sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, ita et per unius obedientiam iusti constituentur multi.

Iam vero si quaeras quanta sit extensio termini huius multi, adverte quod non dicuntur multi comparati cum universalitate hominum, ac si sint multi ex illis; qui enim dicuntur multi, iidem dicuntur et omnes: sed dicuntur multi comparati cum eo uno, per quem peccatores vel iusti constituti sunt; unum enim et multa opponuntur: atque haec semper unum cum multis confertur. Ex quo consequitur quod neque opus est ut eadem sit extensio termini multi in utraque parte comparationis; non enim inter se hi multi sub ratione multitudinis comparantur, sed singuli cum illo uno a quo dependent.

7) Advertatur tandem Apostolus in hoc commate ita enuntiare factum, ut debiti quoque seu necessitatis inductae huius facti rationem habeat. Factum enunciat cum ait peccatum intravit, mors pertransiit, omnes peccaverunt. Habere autem ipsum rationem quoque debiti liquet ex his. Nam 1) utitur semper verbis in forma praeteriti, intravit, pertransiit, peccaverunt; et tamen de universo mundo et de hominibus etiam futuris agitur; iam vero forma praeteriti verissima est quidem prorsus secundum sensum iuris seu debiti quoad omnes, iam enim ea necessitas inducta est: non vero omnino sensu historico, qui adhuc ex parte complendus est. 2) Apostolus c. 18. comparans effectus delicti Adami et iustitiae Christi, de ambobus affirmat quod ad omnes homines extenduntur: porro iustificatio per Christum destinatione quidem spectat ad homines omnes, actu vero minime: ut ergo Apostolus utramque quoad hoc compararet opus fuit, ut non solum factum derivati peccati, sed debitum eiusdem, idque potissimum spectaret. Quia vero utraque consideratio

simil componi potest, et verba Pauli *intravit, peccaverunt* certe factum designant; non licet considerationem necessitatis exclusive accipere.

II. Probandum est tandem quod proposuimus in thesi. Cum dicitur *peccatum primi parentis propagari in posterum*, nequit intelligi quod actus personalis peccati, quo Adamus actualiter peccavit, ille actus, inquam, derivetur et sit physice communis omnibus posteris suis. Verum patrato illo actu, reatus culpae infecit Adamum, idemque non numero, sed specie reatus inficit omnes homines ab origine; qui unus specie reatus, et secundum individua sive subiecta multiplex et singulis proprius, totus pendet ab eo actu peccati quod Adamus libere admisit, et quod omnibus imputatur. Propagari igitur peccatum Adami in universum humanum genus est reatum culpae ex actuali peccato Adami inductum communem esse, verèque inesse singulis hominibus ab origine; et ideo singulis inesse proprium peccatum, habituale quidem, quod ab actuali peccato primi parentis omnibus imputato originem dedit. Itaque ex testimonio Apostoli probanda sunt haec tria, nempe 1) ex praevocatione primi parentis omnibus et singulis hominibus inesse peccatum: 2) quod iam quidem in praecedenti continetur, peccatum scilicet hoc non esse actuale singulorum: 3) peccatum illud esse vere et proprie peccatum, seu reatum culpae, non peccatum aliquid improprie dictum.

Demonstratio 1. puncti. Triplex, praeter catholicam, quam defendimus, potest excogitari interpretatio verborum: *peccatum intravit in mundum*. Prima, quod peccatum istud sit peccatum actuale et personale Adami quod ipsi quidem soli imputetur, ideo vero dicitur intrasse mundum, quia per illud factum est ut peccatum existeret in mundo. Secunda, quod peccatum illud sit in recto peccatum personale Adami, sit autem ingressum in mundum imitatione, quatenus filii Adami peccando sequuntur exemplum eius; et idcirco peccata haec quoque significantur in obliquo per illud peccatum quod intravit in mundum. Tertia quod peccatum ingressum in mundum sit peccatum Adami, sit autem ingressum in mundum propter effectus malos quos produxit puta concupiscentiae, mortis etc. Haec tertia interpretatio confutabitur in tertio puncto: nunc primam et alteram recitare oportet. Docemus scilicet quod peccatum quod intravit in mundum est peccatum quod inest singulis et omnibus hominibus etiam infantibus; ideoque negamus quod istud sit personale peccatum Adami quod in ipso solo mansit, et quod imitatione intraverit in mundum, cuius capaces non sunt infantes neque ii proprie qui Adami peccatum ignorarunt.

Sane 1) in secundo inciso: *et per peccatum mors*, suppleendum

est verbum *intravit* ex priore inciso. De utroque peccato nempe et morte affirmatur ingressus in mundum. Quis vero est iste mundus? ille in quem intravit mors. Atqui mundus, in quem intravit mors, sunt ipsi homines qui moriuntur. Ergo mundus in quem intravit peccatum sunt homines. Peccatum vero in homines ingreditur quatenus ipsis inest tanquam in subiecto, quemadmodum mors quae non secus ac peccatum dicitur intrasse mundum: ergo peccatum istud *ἡ ἀμαρτία* non est peccatum personale Adami quod in ipso mansit. 2) Verba *peccatum intravit in mundum*, respondent his: *omnes peccaverunt*; mundus enim et *omnes homines* idem sunt: eiusdemque peccati mentionem esse in utroque inciso demonstrabimus in 2. puncto: inter omnes homines vero comprehenduntur et ii qui non peccaverunt in similitudinem praevocationis Adami, h. e. infantes (l. p. 3.) at si infantes quoque peccaverunt, non ergo imitatione intravit in mundum peccatum, sed quatenus mundum h. e. homines occupavit. Sane 3) *per inobedientiam unius hominis multi constituti sunt peccatores*; non tantum facta est ipsis potestas, praebita occasio peccandi: at si inobedientia Adami ipsum solum reum, peccatorem effecit, falsum est per eam inobedientiam multos constitutos esse peccatores. Et re quidem vera 4) peccatum intravit in mundum eoque homines constituti sunt peccatores, sicut ex adverso iustitia Christi ingressa est mundum, et per eam homines iusti constituuntur. Atqui homines constituuntur iusti per iustitiam, quae a Christo est, inhaerentem sibi: ergo. Intravit ergo peccatum in mundum per propagationem, inhaerendo iis, in quibus propagatur. Hi autem 5) sunt omnes homines; nam α) dicuntur simpliciter *omnes: omnes peccaverunt*: β) infantes quoque iis comprehenduntur: atqui his comprehensio nemo est qui possit excipi. γ) tanta est extensio termini *omnes* in inciso *omnes peccaverunt*, quanta in illo *in omnes homines mors pertransiit*; nam incisum: eo quod omnes peccaverunt, est antecedens enthymematis, cuius est consequens, in omnes homines mortem pertransisse: nequit autem in antecedente minor esse extensio termini quam in consequente: atqui omnes et singuli moriuntur: ergo omnes et singulos occupavit peccatum. Unde patet responsio obiicienti formulam paulinam: *peccatum intravit in mundum*, similem esse huic: *pestis ingressa est civitatem*. Nam omissio quod aliud est dicere civitatem, quo vocabulo potest representari locus, aliud dicere homines, facile est advertere quod si affirmatio de ingressu pestis in civitatem ita enuncietur ut dicantur omnes homines alicuius civitatis peste affecti esse, huiusque universalitatis tanquam certum indicium afferatur effectus aliquis qui in omnibus reperitur, et ideo reperitur quia pestem contraxerunt, tunc reapse si

nullus est in quo effectus ille deest, nullus quoque dicendus erit peste carere: talis porro est locutio paulina, quae omnes homines peccasse dicit qui moriuntur, et ideo mori quia peccarunt.

Quapropter, ut id modo obiter monuimus, constat quod peccatum actuale Adami heic adsignificatur (per unum hominem utique peccantem), non significatur termino ipso *peccatum* in inciso: *peccatum intravit in mundum*, quod est peccatum singulis inhaerens.

Demonstratio 2. puncti. Constat ex dictis sermonem esse in hoc versiculo de peccato quodam speciali distincto a ceteris, quod veluti iam notum appellatur ἡ ἀμαρτία. Istud est illud peccatum quod omnes ἡμαρτον, quo multi ἀμαρτωλοὶ κατεσθῆσαν (19). Hoc porro peccatum (ut recte monet citatus Dr. Reithmayr) distinguitur a παραβάσει (14) et παραπτώματι (15. 17.) et παράκρη (19) quae actualem transgressionem legis, actualemque transitum a statu iustitiae ad statum peccati significant. Hi porro termini adhibentur ad significandam praevariationem Adami, propter quem constituti sunt multi ἀμαρτωλοὶ, h. e. propter quem ingressa est ἡ ἀμαρτία in mundum: ergo ex ipso usu terminorum ἡ ἀμαρτία discernitur a peccato actuali. Iam vero huiusmodi ἀμαρτία, quae omnibus inesse dicitur, representatur immediate nexa cum actuali praevariatione παράκρη Adami veluti eius effectus, (19) per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi, et (18) per unius delictum (παραπτώμα) in omnes homines in condemnationem: quae respondent praecedenti: (12) per unum hominem peccatum intravit in mundum: quocirca excluditur cogitatio peccati actualis singulorum per quod constituti sint peccatores. Et sane terminus *peccaverunt* in quarto inciso, *omnes peccaverunt*, non potest intelligi de peccato actuali proprio eorum ipsorum qui dicuntur peccasse: quamvis peccatum aliquod actuale designet, quod omnibus imputetur. Ratio primi est, quia dicuntur peccasse omnes in quos mors pertransiit: amplitudo autem termini *omnes* accipi debet utrobique eadem, aut saltem non minor in inciso *omnes peccaverunt*, quam in alio: *in omnes homines mors pertransiit*: quia illud incisum est antecedens enthymematis: alqui extensio termini *omnes* in consequente est universalis ita ut complectatur etiam infantes; nam et ipsi moriuntur, atque eos quoque contineri sub ea propositione *in omnes homines mors pertransiit* indicat manifeste Apostolus argumentatione sequente in qua assertit *regnasse mortem ab Adam etiam in eos qui non peccaverunt sicut Adam*. Ergo in antecedente quoque illius enthymematis *omnes peccaverunt*, comprehenduntur ipsi infantes: alqui in his nullum est peccatum actuale: ergo peccatum aliquod habituale sive reatum culpaee ea verba significabunt. Ratio secundi est, quia

peccatum habituale supponit necessario aliquod actuale, ratione cuius id, quod constituit peccatum habituale, possit dici peccatum, et eo inquinati possint dici peccatores; quod proinde omnibus illis imputari debet, quibus peccatum habituale inesse dicitur.

Porro ex his constat quod quemadmodum mors, quae ut effectus peccati exhibetur, eadem est in secundo et tertio inciso, ita quoque idem est peccatum de quo in primo et quarto inciso (v. 12) mentio fit. Est enim peccatum quod est causa huius unius effectus quod est mors: porro si peccatum, de quo sermo est in quarto inciso, esset aliud a peccato, de quo sermo est in primo, cum peccatum illud (incisi 4) sit causa omnis mortis (in *omnes* homines mors pertransiit eo quod omnes *peccaverunt*), falsum esset aut quod peccatum istud, de quo sermo est in primo inciso, causa sit mortis, aut saltem quod ideo verum sit peccatum illud (inc. 4.) causam esse mortis, quia verum est per peccatum istud (inc. 1.) mortem venisse: hoc enim eo ipso verum esse quod verum est illud, significatur illa particula complexa *et ita* connectente utramque partem commatis. Quare patet ea quatuor incisa sibi invicem respondere ordine inverso; et in primo binario de eodem peccato, eadem morte, eodemque utriusque causali nexu sermonem esse de quo in secundo binario. Verum est proinde quod *mundus*, in quem peccatum intravit, est universam humanum genus: est enim illud idem subiectum, in quod intravit mors; quod quidem subiectum in tertio inciso per terminum *omnes homines* representatur: atque rursus est illud idem subiectum, quod in quarto inciso parallelo ad primum dicitur *omnes* nempe *homines*.

Ex his liquet utramque partem commatis 12 idem quidem dicere, sed quodammodo aliter. Nam in prima parte diserte significatur *a)* origo peccati *per unum hominem*: *b)* unitas et communitas peccati, *peccatum... in mundum* (hominibus collective sumptis): *c)* nexus causalis mortis cum peccato, *et per peccatum mors*. In altera autem parte significatur diserte *a)* universalitas mortis: *in omnes homines mors pertransiit*: *b)* universalitas peccati quod singulos attingit, per signum distributivum *omnes*, et per universalitatem mortis, *in omnes mors pertransiit*: ac praeterea *c)* ratio cur omnes moriantur: *eo quod omnes peccaverunt*.

His autem duobus prioribus punctis demonstratis, facile est haec advertere et tenere: *a)* homo unus, per quem peccatum intravit in mundum, est Adamus; nam neque alius concepi potest, per quem omnes homines constituti sint peccatores: et is est de quo affirmari potest quod in sequenti expolitione commatis affirmat Paulus: *per inobedientiam unius hominis peccatores multos esse constitutos*; atque is est qui solet a Paulo opponi Christo. Cum autem semper

dicatur *unus*, unus homo, *unius* delictum, *uniquè* Christo opponatur, nullum alium hominem cogitare licet qui intelligendus sit in his verbis Pauli simul cum Adamo.

b) Adamus non nisi actualiter peccando potuit inducere peccatum in mundum. Ideo verba Apostoli hunc sensum fundunt: per unum hominem peccantem ingressum est peccatum in mundum: quemadmodum deinceps ait: per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi.

Quapropter c) distinguendum est peccatum *originans* et peccatum *originatum* sive *originale*. Illud est actus personalis Adae peccantis, hoc est peccatum derivatum in alios, qualecumque ipsum sit: porro hoc directe significatur ab Apostolo in verbis *peccatum intravit in mundum*: nam his verbis significatur peccatum quod omnes peccaverunt, quo omnes scilicet constituti sunt peccatores.

Demonstratio 3. puncti. Adverte demonstrationem modo non eo spectare ut ex *analysis rei* demonstretur veram rationem peccati ipsi inesse: id opus est scientificum, quod paulo post exsequemur: nunc vero demonstratio eo pertinet ut probemus *auctoritate* quod contendimus, nimirum ostendamus peccatum istud, de quo Apostolus loquitur, exhiberi ab ipso ut verum et proprie dictum peccatum: quod quidem est opus simplicis interpretis. Iam vero 1) constat peccatum istud representari ab Apostolo ut *causam et rationem poenae formaliter sumptae*. Exhibetur enim ut causa mortis: *per peccatum mors*: mors autem spectatur ab Apostolo non tantum ut malum, sed ut *poena*. Malum enim, quod infligitur ex lege contra praevaricatores, est formaliter poena: atqui malum huiusmodi esse mortem ostendit Apostolus ratiocinio sequente, in quo statuens illud principium quod *peccatum non imputatur non existente lege*, probat homines omnes ante legem Moysis non propter actualia peccata, sed propter illud primum peccatum mortuos esse; ex quo intelligimus quod istud primum peccatum imputatum est omnibus ad mortem propter aliquam legem quae stauerit mortem poenam peccati illius. Atqui peccatum, quod est ratio poenae formaliter sumptae, est formaliter peccatum: ergo. Cum autem peccatum istud, quod est ratio poenae, non sit solus actus personalis Adami, sed peccatum quod omnibus inest, nam in *omnes homines mors pertransiit eo quod omnes peccaverunt*: ergo huiusmodi peccatum commune omnibus exhibetur a Paulo ut verum et proprie dictum peccatum. 2) Peccato, quod intravit in mundum per Adamum, opponitur *iustitia* parata per Christum, c. 15-18: iustitia quam nunc accipimus, cuius fructus est possessio regni, c. 17. qua iusti constitimur c. 19: atqui peccatum cui iustitia opponitur, quod excluditur ea iustitia, quam

nunc accipimus, nequit esse, nisi peccatum proprie dictum. Et sane si illud non est peccatum proprie dictum, illud per iustitiam Christi nunc non est exclusum, quia cetera mala et poenae adhuc manent: quod si nunc non excluditur, quatenam oppositio existit inter peccatum Adami et iustitiam Christi? quomodo sicut per illum peccatores constituti sunt multi, ita per istum iusti constituerunt multi? quod quidem in hoc stadio mortalitatis contingere debet. Ergo Paulus sinit nobis hoc peccatum tanquam verum et proprie dictum peccatum.

Neque huic peccato deest ratio voluntarii. Nam praeterquamquod id colligere nobis licet ex eo quod ut proprie dictum peccatum representatur; ipse Apostolus praeterea rationem hanc indicat inquit *per unum hominem peccatum intravit*. Scilicet per unum hominem nūquē *actualiter peccantem*, peccatum intravit in mundum, seu quod perinde est, per unum hominem peccantem omnes peccaverunt: nimirum peccatum quodvis habituale est voluntarium propter actuale a quo procedit; peccatum vero actuale a quo peccatum mundi processit, est inobedientia Adami, qui est caput totius humanae familiae: ab eo dicitur dimanasse peccatum in universum humanum genus: igitur peccatum mundi voluntarium est voluntate Adami.

Dices peccatum *τῆν ἀμαρτίαν* de qua loquitur Paulus, esse illud idem peccatum, eandem *τῆν ἀμαρτίαν* de qua seqq. cc. 6. et 7. disserit: illud porro est peccatum improprie dictum, est enim concupiscentia: ut iam probavimus Th. XXXVIII.

Responsio. Non arbitramur opus esse negare quod Apostolus c. V, 12. prae oculis habuerit et designare voluerit concupiscentiam quoque, quam paulo post *τῆν ἀμαρτίαν* vocat c. VI, 12. seqq: sed imo censemus probabilius saltem esse quod Apostolus peccatum illud spectaverit quemadmodum deinceps plures Ecclesiae Patres et Doctores consideraverunt, inter quos praecipui sunt Augustinus et Thomas; quorum ratio concipiendi patebit uberius suo loco. Scilicet peccatum quod ingressum est mundum, ex duobus veluti elementis coalescit; nempe *reatu culpa*, et *reali inordinatione concupiscentiae*: ille est peccatum proprie dictum, haec improprie, h. e. effectus illius peccati, et causa quodammodo aliorum actualium. Reatus ille dicitur reatus concupiscentiae, quia ab ipso est concupiscentia: et quia ambo una processerunt a peccato Adami, simulque vincuntur ut causa et effectus, et quia utrique appellatio peccati competit, licet uni proprie; alteri improprie; hinc ambo ut unum totum spectari possunt sub una appellatione peccati, quod, cum Christi iustitia infunditur, transit reatu (culpa enim deletur), manet actu (manet enim concupiscentia).

Illud tamen certum est, quod alia prorsus ratione spectatur ab Apostolo peccatum in c. V. ac in seqq. VI et VII. Nam ibi v. 12. et 15-19. spectatur prout est *reatus culpae*; consideratur enim ut est causa et ratio poenae formaliter sumptae, et prout opponitur iustitiae Christi, ac ab ea excluditur. In capitibus vero VI et VII consideratur tantum quatenus est causa eorum, quibus, si consentimus, peccamus h. e. prout est simpliciter concupiscentia ad peccatum inclinans. Ergo ex eo quod concupiscentia, quae est improprie peccatum, in sequentibus *ἡ ἀμαρτία* vocetur, quamvis ea quoque in c. V. 12. designetur, non sequitur haec peccatum improprie sumi.

Attamen ex ea interpretatione verbi Apostoli ut *ἡ ἀμαρτία* sit quoque concupiscentia illud consequitur quod ad omnes homines futuros Adae filios spectet hereditaria labes concupiscentiae; ac perperam fingatur quidam aliquando futurus status hominum in terris adhuc in via probationis, in quo homines immunes a concupiscentia generentur.

Habemus ergo ex Apostolo reatum culpae inesse omnibus et singulis hominibus; hunc reatum culpae ex una Adami actuali praeravariatione pendere, praeravariationem proinde Adami omnibus imputari, sive omnes peccatores esse, quia omnibus inest ille reatus qui praeravariatione Adami inductus est, unde ea praeravariatio fuit praeravariatio omnium, h. e. omnes in Adamo peccarunt.

Idem brevius docet Apostolus Eph. II, 3. inquires: *eram us natura filii irae sicut et ceteri*. Omnes ergo naturaliter h. e. ab origine, simul ac accipiunt naturam, filii sunt irae, quod esse nequit, nisi sint in peccato.

Itaque effectum est quod in thesi demonstrandum suscepimus. Hanc autem dicimus esse doctrinam catholicam, nempe eam doctrinam quam constat defendi ab Ecclesia catholica. Quapropter manifestum est adhibita graecorum Patrum interpretatione *τοῦ ἐφ' ᾧ* optime ex verbis Apostoli demonstrari propagationem peccati originalis. Idem efficere quidem vales si *το* in quo accipias relative, atque ad id praestandum adhibere tibi licet pene omnia quae congressimus ad demonstrationem catholicam conficiendam. Attamen si cum haeretico agis, demonstrandus tibi erit primum sensus relativus illius dictionis, quando contendas eum esse unicum sensum illius dictionis. Reliquum est ut expediamus quasdam difficultates, quarum solutioni locus esse non potuit in enarratione textus.

III. Aiebant 1) Pelagiani arguentes ex verbis: *per unum hominem* (oper. imperf. cont. Iul. L. II. n. 36) «Hic unus praebendae imitationi sufficit, generationi (per quam Catholici dicunt propagari peccatum originale) implendae non sufficit. Peccatum autem transit,

sed per unum. Manifestum est hic non generationem coargui, quae nisi per duos fieri non potest ».

Respondet Augustinus ibidem «Initium generationis a viro est... et ideo per unum hominem peccatum intravit in mundum, quia per semen generationis intravit, quod a viro excipiens concepit foemina ». Quae responsio, cum de modo propagationis peccati agetur, molitius explicabitur.

2) Bonus legislator nunquam ad hanc venit amentiam ut cuiquam praecipiat vel prohibeat ita nasci; id vero facere dicendus esset Deus si nos punit eo quod ex parente qui olim exsistit, h. e. Adamo imprudentes originem ducimus (ibid. L. II. n. 77.)

Respondet Augustinus: non praecipit homini quomodo nascatur, sed praeeptum fuisse quomodo ille viveret, a quo, quia praeeptum violavit, originale deducitur peccatum. Nec punit Deus homines eo quod nascantur ex Adamo, sed eo quod ad eos qui ex illo nascuntur spectet quoque libera culpa primi parentis. Quod quidem rursus clarius explicabitur cum agendum erit de modo propagationis.

3) Verba Pauli *omnes peccaverunt* sunt parallela verbis c. III, 23. *omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei*, eandemque sententiam exprimant; atqui verba cap. III. ad sola peccata actualia spectant, quae tibi discrete enumerantur, et per quae probatur iudaeos et graecos omnes esse sub peccato, com. 9: ergo et in c. V, 12. de peccatis actualibus sermo est.

Responsio. Usus parallelismi utilis est, cum contextus est obscurus; cum vero contextus est clarus, ipso relicto, ad parallelismum confugere ineptum est, iam vero in cap. V. com. 12 collatis com. 13 et 14. liquet evidentissimè quod peccatum, quod omnes peccaverunt, et propter quod moriantur, esse peccatum distinctum ab actualibus, et quod reperitur etiam in iis qui actualiter non peccaverunt. Ergo. Quare si in c. III. sermo est tantum de peccatis actualibus, negandum est haec duo loca esse *realiter* parallela; quod si quis parallela ea esse contendat, is affirmare debet in c. III. etiam peccatum originale significari.

Ex his liquet quid respondendum Erasmo aienti Paulum haec, ut in tota epistola, non de infantibus, sed de adultis loqui.

4) Comparatio instituitur inter Adamum et Christum: atqui non omnes per Christum iustificantur, ergo neque omnes per Adamum perierunt.

Responsio. Comparatio instituitur inter utriusque effectum secundum destinationem, ut sicut ex peccato Adami inducta est pro omnibus necessitas contrahendi eius reatum, ita ex Christi meritis destinata est et praeparata omnibus gratia et iustitia. Rursus compa-

ratio instituitur inter utramque personam prout aterque spectatur ut caput eorum qui vel generatione carnali a primo Adamo, vel regeneratione spirituali a secundo Adamo procedunt, aut procedere possunt: atque ita sicut omnes, qui ex Christo spiritualiter regenerantur, iustitiam, eamque propriam sibi inhaerentem accipiunt, ita et qui ex Adamo carnaliter generantur, peccatores sunt; hi vero sunt omnes homines.

5) In inciso: *in quo omnes peccaverunt*, verbum *peccaverunt* de actuali peccato accipiendum est, verbum enim significat actum; et ideo ad adultos tantum incisum illud spectat, neque in eo sermo est de peccato originali.

Resp. Adsignificat peccatum actuale a quo peccatum processit quod intravit in mundum, *conc.* significat peccatum actuale omnium; *subd.* peccatum actuale unius, quod omnibus imputatur; *conc.* peccatum actuale omnibus proprium et inhaerens, *subd.* si verba sumerentur avulsa a contextu id significarent, *trasm.* debent semper id significare, et heic reapse significant in contextu, in quo omnes omnino etiam infantes dicuntur peccasse, et declaratur discrete quod non peccaverint sicut Adam, *nego.*

6) Beata Virgo non contraxit originale peccatum, ergo propositio illa universalis exceptionem reapse patitur; at si exceptio aliqua fieri potest, quid prohibet cogitare plures fuisse exceptos, atque ita non omnes, vel etiam nullos gigni actu peccatores?

Responsio. Advertendum est 1) sufficientem rationem propagationis peccati a primo homine in eius posteros non haberi ipsa natura aut naturae lege, sed oportere ut aliquid liberum Dei decretum intercesserit, non quo decerneretur peccatum, aut peccati transmissio, sed quo decerneretur ille ordo rerum, qui in bonum cederet et quidem indebitum humanae naturae, a quo tamen libera per primum hominem praevariatio esset ratio cur universa natura peccato infecta existeret. Qua de re inferius, cum de propagatione peccati originalis distinctius agemus. 2) Posita praevariatione primi parentis esse quidem *ex se* omnes homines, qui ab eo nascuntur, obstrictos peccato; nihil tamen prohibere posse quominus Deus speciali privilegio aliquem prosequatur: et quemadmodum voluit libere et gratuito omnibus peccatum contractum remittere, ita potuit etiam velle impedire ne quis actu illum contraheret, gratiam suam conferens in instanti ipso conceptionis. Quare 3) si quaestio sit de possibilitate exceptionis, aut de possibilitate specialis privilegii, nulla dubitatio esse potest, integrum est enim Deo sua beneficia cui vult conferre, et eo modo quo vult. Et quia praeservatio a contrahendo peccato distingui et separari potest a dono immortalitatis, integrum

fuit Deo primum alicui conferre donum sine altero, sicut ceteros liberat a peccato manente poena mortis. Iam vero 4) divina revelatio, quae hoc factum testatur omnes homines nasci ex Adamo peccatores, et meritis Christi redimi a peccato contracto (Professio fidei in decreto unionis pro Iacobitis in Synodo Florentina haec habet: « Firmiter credit, profitetur et docet neminem unquam ex viro feminaque conceptum a Diaboli dominatu fuisse liberatum nisi per meritum mediatoris Dei et hominum I. C. D. N. »), eadem quoque docet B. Virgini speciale privilegium fuisse collatum, eamque ex meritis Christi praeservatam fuisse immunem a peccato. Quare, ipso docente Spiritu Sancto, sententia universalis Pauli quatenus factum respicit, cum hac limitatione est accipienda. Neque opus fuit ut Paulus exceptionem hanc discrete significaret, tum quia ipse de debito quoque loquitur, sub quo et B. Virgo comprehenditur, tum quia exceptio ea aliunde nota erat, puta ex Gen. III, 15.

Verum ex eo quod certo novimus personam unam fuisse a lege universalis exceptam, licet ne dubitare quod alii quoque speciali privilegio exempti fuerint!

Quaestio est facti, non possibilitatis. Itaque manifestum est in primis quod id non licet affirmare; nam unica ratio affirmationis pro B. Virgine est divina revelatio, quae heic deest. Deinde nulla adest ratio positivae dubitationis; nam neque ad hoc sufficit possibilitas, neque argumenta alia quae probabilem faciant hanc opinionem haberi possunt; argumenta enim omnia excluduntur a specialissima dignitate Virginis, quae est Dei Mater, propter quam dignitatem privilegium istud fuit ei collatum, quae quidem dignitas non sinit ut censeantur aliis communia ea dona quae propter ipsam fuerunt Virgini collata, quando generatim asseratur in Verbo Dei omnes homines iis donis carere. Unde in dogmatica Pii IX definitione privilegium hoc *singulare* dicitur. Tandem ratio est cur affirmemus nemini alii hoc privilegium esse collatum. Nam divina revelatio adaequate spectata huc redit: Omnes homines oriuntur ex Adamo peccatores, excepta B. Virgine: haec enim synthesis prodit ex sententia enunciat a Paulo collata simul cum doctrina pariter revelata immaculatae conceptionis B. V.; atqui qui *dicit omnes*, et simul discrete *unum tantum excipit*, significat nullum alium esse excipiendum. Neminem ergo alium excipere licet.

Itaque ad argumentum *dist. Ant.* Beata Virgo non contraxit actu peccatum originale, *conc.* non habebat ex se debitum contrahendi, ideoque non indigebat et ipsa redemptore, cuius meritis a peccato praeservaretur, *nego.*

*Dist. Cons.* Propositio ea universalis exceptionem patitur indefi-

nite, *nego*: eam exceptionem, quam ipse Spiritus S. revelavit, *conc.*

Unde ad subsumptum. *dist.* si exceptio aliqua posset fieri indefinite, *concedo* vel *transmitto* quod dicitur; si exceptio tantum ea fieri potest, quam ipse Spiritus S. manifestavit, *nego*.

7) Obiici rursus potest: universalitas peccati demonstratur a nobis in testimonio Paulino potissimum ex universalitate mortis: atqui certum non est omnes morituros: ideoque universalitas mortis non absolute accipienda est sed moraliter, et idcirco universalitas mortis quoque peccati moraliter accipienda est. Minor probatur verbis Pauli in 1. Thessal. IV, 15. Nos qui vivimus, qui residui sumus in adventum Domini non praeveniemus eos qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus, in iussu, et in voce Archangelis, et in tuba Dei descendet de caelo, et mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi: *deinde nos qui vivimus, qui relinquimur* (de iustis loquitur) *simul cum illis rapiemur obviam Christo in aera, et sic semper cum Domino erimus.* Ex quibus verbis videtur colligi posse quod postremi homines non morientur. Quod quidem etiam disertè dicitur 1. Cor. XV, 51. seq. secundum textum graecum. Ecce mysterium vobis dico: *παντες μὲν ὧ κομμηθησόμεθα, πάντες δὲ ἀλλαγησόμεθα* omnes quidem non dormiemus, omnes autem (loquitur pariter de iustis) immutabimur: quae est lectio graecorum non paucorum, atque etiam Syriacae versionis. Hinc Suarez in 3. p. T. II. D. L. sect. 2. docet quod sententia, quae tenet omnes prorsus homines actu morituros, est tantum probabilior contraria. Cf. A Lapide in 1. Corinth. c. XV, 51. Si autem ultimi homines non morientur, ergo non est absoluta universalitas mortis; ergo.

Responsio: seposita modo horum textuum interpretatione, respondemus ad argumentum directe. Poena peccati non fuit tantum actualis mors, sed ipsa mortalitas (Th. LII): haec certe est universalis absolute, huiusque absolutae universalitatis demonstratio est ipsa mors actualis, etsi tantum moraliter esset universalis: nam nos e. g. necessitatem omnium moriendi novimus quoque et solemus probare ex facto: porro factum quod ad demonstrationem assumimus et de quo certi sumus, non est nisi universalitas moralis. Hoc posito ad argumentum: in verbis Apostoli arguimus universalitatem peccati ex universalitate mortis, *dist. Maior.* ex universalitate tantum mortis actualis, *neg.* ex universalitate quoque necessitatis sive mortalitatis quae ostenditur ipsa universalitate mortis actualis, *conc.* Ratio distinctionis est, quia certo Paulus loquitur de poena secunda ad peccatum: atqui poena non fuit simplex mors actualis, sed mortalitas. Hinc etsi quosdam Deus vellet excipere ab actuali morte, vis argumenti non minuitur: nam certum est omnes esse mortales, omnesque habere de-

bitum moriendi, hoc autem ipsum debitum haec mortalitas poena est peccati: ergo. Quare ad minorem argumenti respondemus 1) negantes certum esse non omnes morituros; admissa autem ea sententia Suarezii, quae quidem limitatur tantum ad aliquos ita ut eorum exemptio a morte censenda esset exceptio a regula, non quaedam regula generalis: respondemus 2) forte non omnes actu morientur, vel non est definitum omnes actu morituros; *transm.* non omnes sunt mortales, non habent omnes debitum moriendi, *nego*; imo negari etiam potest quod non omnes moriantur, ut ex dicendis constabit.

Haec autem quae de debito diximus, accipienda sunt cum ea limitatione, de qua diximus in responsione praecedente; nisi nempe significaverit Deus se aliquem excipere ab hoc debito: neque contendimus eo debito moriendi obstrictam fuisse B. Virginem, sed ab ea praescindimus.

Ceterum ad factum quod spectat, integrum quidem est Deo, si velit, quempiam excipere a persolutione debiti mortis, sed nondum factum est quoad aliquem qui in termino existat, atque an futurum id sit, prorsus ignoramus. Neque testimonia recitata Scripturae docent saltem clare postremos homines non morituros. Quod quidem acre intelligi potest, si ut docet S. Petrus (epist. 2. III, 10) *elementa calore solentur, terra autem et quae in ipsa sunt opera excurentur*: in universali enim elementorum, h. e. rerum omnium conflagratione quomodo homines incolumes manebunt! Et sane in 1. Thess. IV, 15. seq. non dicit quidem Apostolus v. 17., quod postremi illi homines moriantur, sed neque id negat; neque ad propositum suum referebat id disertè dicere. Vult enim declarare quod dixerat v. 15. quod homines residui non praeveniunt eos qui iam mortui sunt, idque praestat docendo quod qui iam mortui sunt in Christo resurgent *primi*, seu, ut habet textus graecus, *primum πρωτον* (si lectionis vulgatae: *primi* ratio habeatur, dici potest ad significatam fuisse resurrectionem aliorum: si graecae, res non est satis evidens: *primum* enim potest referri ad raptum aliorum obviam Christo in aera), deinde omnes h. e. tum qui iam mortui erant, tum qui reliqui fuerant ultimis diebus, occurrunt simul Christo: ideoque ultimi homines non praecoepabant alios qui iam mortui fuerant. Liqueat ad huiusmodi declarationem opus non fuisse disertè dicere quod et ultimi moriantur. Verum cum de resurrectione iustorum Apostolus hic loquitur, referri huc potest cum Angustino (De Civ. Dei L. XX. c. 20) doctrina Apostoli eisdem (1. Cor. XV, 42. seqq.): *seminatur corpus animale, surget corpus spiritale.*

Quoad alterum testimonium ex eodem epist. ad Cor., advertimus certum non esse quod ea lectio graeca sit genuina, nam prae-

terquamquod vulgata cum antiqua Itala (ut ex Augustino constat) legit omnes resurgemus loco illius omnes non dormiemus, codices quoque graeci veteres non consentiebant inter se. Nam alia est lectio quam Augustinus refert, tribuendo eam absque limitatione codicibus graecis: ait enim epist. CCV. al. 146, n. 14. ad Consensium, referens hunc textum: « Ecce mysterium vobis dico: omnes quidem resurgemus, *vel sicut graeci codices habent: omnes quidem dormiemus, non tamen omnes immutabimur.* » Hieronymus autem (epist. ad Minervium et Alexandrum, in qua de hoc testimonio data opera agit) testatur lectionem graecam: *omnes non dormiemus, omnes autem immutabimur*, esse quorundam exemplarium. Didymus autem ibidem a Hieronymo citatus ait esse *nonnullorum codicum*: e contrario aliam lectionem: *omnes dormiemus, sed non omnes immutabimur* Acacius Caesaraeae Episcopus ibidem dicit esse plurimorum codicum, quod et Didymus et Hieronymus satis aperte significant. Haec autem lectio graeca totius textus comparata cum lectione vulgata, si ratio habeatur eius quod in utroque textu tum significatur, tum adsignificatur, illud idem dicit quod latina vulgata. Significatur enim mors, et adsignificatur resurrectio, cum negatur omnes esse immutandos utique qui surrexerint.

Ceterum constat ex verbis Apostoli ad Heb. IX, 27 quod iudicium hominum post eorum mortem instituendum est; constat pariter omnes esse iudicandos, 2. Cor. V, 10, ergo lex generalis est quod omnes sint morituri; quam quidem legem non tollit exceptio pro aliquibus, sed prorsus tolleret status quidam immortalitatis perpetuus pro hominibus viatoribus.

Advertenda est tandem doctrina Catechismi Romani in art. XI. Symboli; cuius catechismi magna est auctoritas. Ait ergo n. 6. « cum omnes dicimus (resurrecturos) tam eos intelligimus, qui adventante iudicio mortui iam erunt, quam eos qui morientur. Huic enim sententiae, quae asserit omnes morituros esse, nemine excepto, Ecclesiam acquiescere, ipsamque sententiam magis veritatis convenire scriptum reliquit Hieronymus (epist. cit.); idem sentit et S. Augustinus (Civ. Dei l. c.). Neque huic sententiae repugnant Apostoli verba ad Thessalonicenses etc. »

#### Brevis animadversio in alia testimonia Scripturarum.

Praeter testimonium Apostoli ad Rom. in controversia Pelagiana proferebant Patres et alia, nempe ex Psal. L. 5. *Ecce in iniquitatis conceptus sum, et in peccatis concepit me mater mea*, atque Iob. XIV, 4. *Nemo mundus a sorde, nec infans cuius unius diei*

*vita sit super terram.* Iam vero quaestio est de vi demonstrativa horum testimoniorum. Itaque quoad prius testimonium haec affirmamus. 1. haec verba (iuxta lect. hebr. ecce in pravitate conceptus sum, et in peccato fovit me mater mea) accipi possunt de concupiscentia quae peccatum appellatur. Nam hoc in loco Psaltes eo spectat ut ostensa sua infirmitate et pronitate ad peccandum, quam ab ipsa origine contraxit, veniam facilius exoret. Affirmamus 2. merito productum esse a Patribus hoc testimonium contra Pelagianos: eo enim evincitur peccatum primi parentis posteris eius omnibus nocuisse: nam etiamsi dicas hoc peccatum, in quo se David affirmat conceptum, esse peccatum improprie, cuiusmodi est concupiscentia, ex eo tamen sequitur illud peccatum ab aliquo peccato proprie dicto dimanasse (Th. XLIX), quod nequit esse nisi peccatum primi parentis, et sic peccato suo Adamum nocuisse sibi et posteris suis, atque hos proinde non tales nasci qualis fuit conditus Adamus, quae omnia Pelagiani negabant. Verum 3. si determinata magis quaestio fiat, utrum scilicet deriverit in posteros Adami non solum aliqua poena peccati eiusdem, sed ipse reatus culpae, et disputetur cum eis (quos refert Belarminus de Amis. gratiae L. IV. c. 3. et quorum mentionem quoque facit Petrus diaconus in epistola ad Episcopos africanos scripta an. 520. c. 6.) qui concedant quidem vitiatam esse ab Adamo universam naturam humanam quatenus peccato suo concupiscentiae frena laxavit, mortemque promeruit, at negent reatum culpae inesse posteris eius, haud satis efficeat censum adhiberi posse hoc testimonium, saltem si seorsim sumatur. Quod si conferas hanc sententiam Psalmi cum doctrina Apostoli ad Rom. c. VII, de concupiscentia et c. V. de peccato originali, unde constat simul cum concupiscentia reatum eius, ut Augustinus loquitur, pervadere omnes, licebit tibi affirmare Prophetam quoque utrumque significasse.

Quod spectat ad testimonium Iobi, plura advertenda sunt. In textu hebraico sic legitur *אדם לא טהור מטמו לא מי* quis dabit mundum de immundo? ne unus quidem. Hieronymus, cuius lectionem in vulgata habemus, ita est interpretatus: quis potest facere mundum de immundo conceptum semine? nonne tu qui solus es? Septuaginta vero ita translulerant: *τις γαρ καθαρως εσται απο ρυπου; αλλ ουδεις, εαν και μια ημερα ο υιος αυτου ετι της γης.* Quis enim mundus a sorde? at nullus, etsi una dies sit vita eius super terram: quae postrema verba in hebr. et versione Hieronymi spectant ad sequentem periodum. Porro sententiam hanc itala ex graeco expressa representabat. Hinc Patres graeci versione septuagintavirali utentes et latini Itala hoc pacto Iobi testimonium referebant. Cf. Ambrosium in Luc. l. I. n. 47. August.



De Peccato originali n. 37. Gelasium Papam adv. Pelagianam haeresim. Imo ipse Hieronymus qui iam anno 393 (lege epist. eius 49. edit. Vallarsi) versionem suam Iobi ediderat, scribens anno 413 Dialogum contra Pelagianos L. I. n. 32. citat hoc testimonium secundum lectionem graecam: quis enim mundus a sordibus nec si unius etiam diei sit vita eius in terra. Pariter Leo M. utraque lectione utitur; graecam nimirum seu versionis Italae profert in sermone 21. qui est de Nativitate, et alteram versionis hieronymianae in serm. 28. pariter de Nativitate (edit. Ballerin.). Cum adeo frequenter occurrat penes veteres Latinos Patres testimonium istud secundum lectionem graecam, nil mirum si etiam postquam usus hieronymianae versionis obtinuit, adhuc appareat penes Scriptores Latinos lectio graeca, ut videre est in expositione Cantici canticorum, et expositione 7<sup>a</sup>. Psalmorum Poenitentialium, quae Gregorio M. tributae fuerunt, qui tamen in suis Moralibus exponens Iobum legit cum Vulgata Hieronymi (confer sis in Tom. 14. Operr. S. Gregorii edit. venetae ann. 1773 praefationem Sammarthani et alterius animadversiones in eam).

His positis dicimus 1. Testimonium lectum secundum versionem graecam et italem merito allatum esse a Patribus contra Pelagianos. Nam sordes, de quibus ibi est sermo, nequeunt esse nisi morales, cum et de sordibus corporalibus ea propositio universalis non sit reapse vera, et eo in loco de sordibus hominis coram Deo qui homines adducit in iudicium (v. 3.) sermo sit. Licet vero sordes huiusmodi in infante unius diei dicantur esse concupiscentia (etsi huius mentio, cum de iudicio Dei agitur, non videatur idonea satis, bene quidem mentio peccati proprie dicit), tamen ut iam advertimus, id adversus Pelagianos sufficiens ad eorum sententiam profligandam.

2. Quid vero dicendum, si ista translatio exigatur ad veritatem hebraici textus, qui solus inspiratus fuit? Primo sciscitari licet an certum sit textum hebraicum huius loci, qui aetate  $\tau\omega\upsilon$   $\delta'$  exstabat, eundem quoad verba fuisse ac ille qui modo habetur, et cum iisdem ac modo sunt fuisse interpunctionibus et punctis lectitatum? Deinde dato saltem primo ex his duobus, nam alterum certe nullo argumento evinces; haud difficile videtur utrumque textum in eandem sententiam componere; discrimen enim totum in eo esse videtur quod graeca lectio distinctius et expressius dicat quod textus hebraicus brevius et obscurus. Scilicet: *quis dabit mundum de immundo* (h. e. ortum de immundo, et eo ut ait vulgata, de immundo conceptum semine?) *non unum quis dabit, etsi definiti, breves sint dies eius, אִם-חַרְרִיצִים יָמָיו* (cf. Thesaur. Gesenii ad v. אִם A. 2). Fateor expectari potius grammaticae responsionem: *non unus*; verum ex contextu vi-

detur prae oculis habere Iobum non tam personam mundantem, quam personas non mundas, ut eius interrogatio huc redeat: Quis esse potest mundus de immundo? Hoc quidem facilius dabis, si verbum  $\text{יָתֵן}$  legas cum punctis coniugationis Hoph.  $\text{יָתֵן}$  in qua valet id quod in Niphal (cf. Gesenium ibid. ad v.  $\text{יָתֵן}$ ), scilicet quis dabitur mundus de immundo? non unus etc. qui est sensus versionis graecae. Certe interpretatio Hieronymi quoque *Nonne tu qui solus es?* difficultate laborat. Quamvis vero cum Hieronymo verba *breves dies eius etc.* omisa conditionaliter, referas ad sequentem periodum secus ac fecerunt Septuaginta, adhuc tamen quoad substantiam integra sententia manet; nullum esse mundum de immundo, quibus verbis obscurius quidem sed certe potest significari nullum esse mundum, qui de immundo semine concipitur.

### Thesis LXXIII.

*Perperam Pelagiani ad testimonia Scripturae Deut. XXIV, 16. et Ezech. XVIII, 2-20: provocabant, ut ostenderent peccatum primi parentis posteris suis non imputari.*

I. Ad haec testimonia provocat Rufinus syrus magister Pelagii et Caelestii in sua expositione fidei c. 6. (cf. Garnerii Dissert. V. ad primam partem operum Marii Mercatoris, append. 2. coll. Dissert. 1. c. 3) ceterique post ipsum. Porro testimonium ex Deuteronomio est huiusmodi: *Non occidentur patres pro filiis, nec filii pro patribus, sed unusquisque pro peccato suo morietur.* Atqui testimonium hoc non est ad rem; nam ibi praecipuum Domini tantummodo continetur, quo inbentur indices populi non afficere poena mortis patres pro filiis, et filios pro patribus, sed eum, qui peccatum patravit, mortis dammare. A Pelagianis autem testimonium afferebatur ita ac si Deus de se ipso testaretur quod filios pro patribus non occideret: ergo inepte ad illud provocatur.

II. Testimonium Ezechielis hoc est: *Quid est quod inter vos parabolam vertitis in proverbium istud in terra Israel dicentes: Patres comederunt uvam acerbam, et dentes filiorum obtupescunt? Vivo ego, dicit Dominus, si erit ultra vobis parabola haec in proverbium in Israel... Anima, quae peccaverit, ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris. Itaque, aiunt, a divina iustitia abhorret ut filii imputetur peccatum patris, testaturque Deus filios non portaturos iniquitatem patris; at admissio peccato originali, filii reapse portant iniquitatem patris: ergo.*

Responsio. Verba Domini eo spectant ut excludatur proverbium Palmieri, *De Deo Creante et Elevante*

illud Iudaeorum, loquiturque Deus iis qui se innocentes arbitrabantur; unde verba Domini hunc sensum fundunt: *filius innocens non feret poenas debitas peccato patris*: hoc est enim ferre iniquitatem patris. Iam vero animadvertendum est sermonem ibi esse de poenis positus in privatione bonorum naturalium, cuiusmodi est mors, quam hic Deus minatur, quae non est privatio immortalitatis, sed privatio intempestiva longioris vitae. Huiusmodi autem poenae non nisi propter peccata propria actualia alicui infligi possunt. Atqui haec nihil habent commune cum peccato originali. Nam peccatum primi parentis posteris imputatur quoad amissionem bonorum supernaturalium et praeternaturalium. In hoc autem nullam esse iniustitiam suo loco demonstrabimus.

Quare sic possumus respondere Pelagianis. Verba Scripturae: *filius non portabit iniquitatem patris*, vel ita accipiunt ut *portare iniquitatem* sit reum esse peccati, h. e. peccatum patris imputari ipsi ad reatum: et 1) negamus hunc esse sensum eorum verborum, quae non significant nisi imputationem ad poenam, nam supponuntur filii innocentes et de innocentibus sermo est. 2) Admisso hoc sensu, verba testimonii accipienda sunt de peccatis eorum patrum, qui quoad ordinem gratiae non habent rationem capitis et originis respectu filiorum, quales erant ii quorum se iniquitatem portare conquerebantur Iudaei. Quod vero peccatum aliquod alicuius patris non quoad actum sed quoad habitum propagari possit in eius filios, quatenus ille pater caput naturae amittit libere sibi et universae naturae sanctitatem gratuito collatam, in qua amissione libera per actum capitis naturae consistit peccatum quod singulis inest, id Scriptura ipsa testatur, et nos inferius demonstrabimus nulla absurditate laborare.

Si vero verba testimonii accipiantur, ut debet, de imputatione ad poenam, h. e. filios innocentes non laturos poenam pro peccatis patrum; tunc negamus id applicari posse posteris Adami. Nam 1) poenae, quibus hi subsunt, sunt concupiscentia, aernumnae, mortalitas; at his poenis non afficiuntur innocentes, sed rei; carent enim debita sanctitate filii omnes Adami. 2) Poenae, de quibus sermo est in eo testimonio, sunt poenae positae in privatione boni naturalis; poenae autem, quibus afficiuntur posterii Adami cum ipso, sunt poenae positae in privatione bonorum praeternaturalium, quae per se naturae non debentur. Nulla est ergo paritas. Cf. I. p. q. LXXXI. a. I. ad I.

III. Ceterum (quod iam alibi monuimus Th. XLVII) non semper mala physica sunt poena peccati eorum qui iisdem prenuntur; potest Deus ea mala inferre iustus etiam, tum in exercitium virtutis, tum ut facilius caveant a peccatis. Quod cum in bonum cedat eo-

rumdem iustorum, putandum non est per ea verba Ezechielis voluisse Deum mala physica in hunc finem illata, quae rationem beneficii habent, excludere; sed negavit se *puniturum* filios propter peccata patrum, hoc est poenas debitas peccatis patrum sive mala tanquam *poenas* irrogaturum se filiis innocentibus. Praeterea cum filii censeantur esse aliquid patris, et proinde mala filiorum habeantur ut mala patrum, Deus filios innocentes patrum peccatorum affligens malis propter eos fines, quos diximus, potest insuper et hunc finem intendere, ut patrum peccata puniantur; quatenus enim mala filiorum sunt mala patris, mala quae patiuntur filii, respectu parentum peccatorum (ipsorum inquam parentum respectu, non filiorum) rationem poenae habere possunt. Et sic Deus visitare potest peccata patrum in tertiam et quartam generationem, licet filii innocentes sint. Cf. I. II. q. LXXXVII. a. 8.

#### Thesis LXIX.

*Propagationem peccati originalis probat baptismus infantibus quoque necessarius in remissionem peccatorum.*

I. Certum est factum quod infantes baptizarentur. Id ex testimoniis Tertulliani, Cypriani, aliorumque mox afferendis constat. Imo certum est quoque id creditum fuisse necessarium infantibus, quod liquet vel ex ipsis Pelagianis, qui hoc dogma negare non sunt ausi, sed secundum suam opinionem explicare conati sunt, ut modo referemus. Iam vero ex necessitate baptismi frequenter arguebant Patres omnes, qui contra pelagianos dimicaverunt, ut efficerent contra pelagianos parvulos obstrictos esse peccato originali. Ita e. g. Augustinus De peccat. merit. et remis. L. I. c. 26: « Porro quia parvulos baptizandos esse concedunt, concedant oportet eos egere illis beneficiis mediatoris, ut ablati per sacramentum caritatemque fidelium, ac sic incorporati Christi corpori, quod est Ecclesia, reconciliarentur Deo; ut in illo vivi, ut salvi, ut liberati, ut redempti, ut illuminati fiant. Unde? nisi a morte, vitis, reatu, subiectione, temeribus peccatorum? Quae quoniam nulla in ea aetate per suam vitam propriam commiserunt, restat originale peccatum. »

Excipiebant pelagiani baptismum quidem parvulis necessarium esse, non vero ut a peccatis mundarentur, sed ut adoptarentur in filios Dei, ita ut dicere solerent: *in infantibus non habet aqua quod abluat, habet gratia quod adoptet*. Vel quidam ex eis concedebant quoque baptizari parvulos in remissionem peccatorum, at non quatenus remittantur peccata commissa, sive ea quibus infantes sint obstricti, sed quatenus caveantur futura, eo quod per baptismum

potestas non amplius peccandi seu impeccantia obdineatur, imperfecta quidem in hac vita, perfecta in altera vita. Contra hos generatim aiebat Augustinus ad Bonifacium L. IV, c. 4. « Quid eis prodest baptismum omnibus aetatis necessarium confiteri, quod Michaei dicunt in omni aetate superfluum, cum isti dicant esse in parvulis falsum, quantum ad remissionem atinet peccatorum? »

II. Et sane dogma catholicum necessitatis baptismi, non id tantum continet, baptismum nimirum esse omnibus necessarium, sed et hoc quoque, nempe necessarium esse in remissionem peccatorum. Id constat 1) ex solenni professione Ecclesiae in symbolo Fidei constantinop.: *Credo unum baptisma in remissionem peccatorum*: quibus certe verbis effectus baptismi, propter quem est ipse institutus, significatur. Porro si baptismi unum est, et in remissionem peccatorum conferatur, necesse est ut et parvulis in remissionem peccatorum conferatur. Secus esset aliud et aliud formaliter sacramentum: nam pro infantibus, quibus necessarius est baptismus, ipsis fatentibus pelagianis, esset per se sacramentum vivorum; nullum enim supponeret peccatum, nec foret pro illis in remissionem peccatorum: pro adultis vero qui peccassent, et quibus ante cetera sacramenta necessarius foret, esset baptismus sacramentum mortuorum per se; oportet enim ut sit pro aliquibus in remissionem peccatorum: atqui sacramentum vivorum et sacramentum mortuorum formaliter differunt. Ergo unus baptismus in remissionem peccatorum institutus datur parvulis quoque in remissionem peccatorum. Atqui *remissio peccatorum* ea est, qua *peccatum admissum deletur*, non qua fatrum, ne admittatur, cavetur; id est enim remittere peccatum, delere nempe peccatum adhuc manens per gratiae restitutionem, atque ea est qua *peccatum proprie dictum deletur*: ea est enim de qua in symbolo profitemur: *Credo remissionem peccatorum*. Fieri quidem per accidens potest ut hoc sacramentum mortuorum suscipi debeat ab eo qui actu iustus est, sed id in eo tantum contingere potest qui per proprium actum caritatis iustificationem obtinuerit: atamen necessitas sacramenti illius suscipiendi supponit peccatum quod in eo fuerit, et ad quod delendum per se est sacramentum destinatum; ita ut ipsa iustificatio praecedens colata non fuerit citra conditionem voti saltem impliciti suscipiendi sacramentum. Cum ergo et parvulis sit necessarius baptismus, et hic in remissionem peccatorum conferatur, et in parvulis non sit actus ullus proprius, dicendum est et sacramentum hoc supponere aliquid peccatum in parvulis, et hoc peccatum actu deleri per baptismum.

Constat 2) ex ritibus qui ad baptismi collationem a primis saeculis in universa Ecclesia adhibentur, quique Ecclesiae sententiam

aperte manifestant tum circa conditionem subiecti baptizandi, tum circa effectus baptismi, quos inter sit remissio peccati existens, et peccati proprie dicti. Unde Augustinus, qui ritus hos *formam* baptismi vocat (cf. can. 2. carthaginiensem coll. can. 4. Sess. V. Conc. Trid.), ita argumentatur De peccat. merit. et remiss. L. I. c. 34. « Quid de ipsa forma sacramenti loquar? vellem, aliquis istorum qui contraria sapiunt, mihi baptizandum parvulum offerret. Quid in illo agit exorcismus meus, si in familia diaboli non tenetur? Ipse certe mihi fuerat responsurus pro eodem parvulo, quem gestaret, quia pro se ille respondere non posset. Quomodo ergo dicturus erat, eum reannunciare diabolo, cuius in eo nihil esset? Quomodo converteri ad Dominum, a quo non esset aversus? credere inter cetera remissionem peccatorum, quae illi nulla tribueretur.... Falsam igitur vel fallacem parvulis tradi baptismatis formam, in qua sonaret quod utique agi videretur, et tamen nulla fieret remissio peccatorum, viderunt aliqui eorum nihil execrabilius ac detestabilius dici posse atque sentiri ». Adverte autem quod ritus praevertentes baptismum, seu preces et exorcismi, qui super baptizandum fiunt (in his enim posset esse aliqua difficultas) quamvis significant remissionem peccati, et liberationem a potestate diaboli sub qua quis est ratione peccati, significant tamen remissionem et liberationem efficiendam per baptismum, quam suis quoque precibus Ecclesia petit, non quae fiat per ipsos ritus. Certa tamen exemptio a potestate diaboli, quae exemptio nondum excludit statum peccati, et qua praeparari potest homo ad obtinendam perfectam libertatem a peccato, de qua exemptione Augustinus quoque loquitur, de qua confer etiam quod paulo post subdimus testimonium Iohannis diaconi, talis inquam exemptio qua diabolus fugatur, et ne noceat praesertim adultis impeditur, cum ea non excedat Ecclesiae potestatem, eadem illis exorcismi et significari et fieri dicenda est (cf. Apost. Sedis Auctoritates a Caelestino allatas c. 12). Ceterum haec ad nostram questionem non spectant: nobis enim salis est demonstrare quod infans omnis est ante baptismum sub peccato.

Idem constat 3) ex auctoritate Ecclesiae docentis. Ita in Conc. Carthag. c. 2. « Placuit, ut quicumque parvulos recentes ab uteris matrum baptizandos negat, aut dicit in remissionem quidem peccatorum eos baptizari, sed nihil ex Adam trahere originalis peccati, quod regenerationis lavacro expietur, unde sit consequens, ut in eis forma baptismatis in remissionem peccatorum non vera sed falsa intelligatur, anathema sit quoniam non aliter intelligendum est quod ait Apostolus: per unum hominem etc; nisi quemadmodum Ecclesia Catholica ubique diffusa semper intellexit. Propter hanc enim regulam fidei, etiam parvuli, qui nihil peccatorum in semetipsis adhuc